




+

114/107/100/11

OLIM



Ō L I M  
LŪDĪ SCAENICĪ

BY


E. RYLE

CLASSICAL MISTRESS

AIGBURTH VALE HIGH SCHOOL, LIVERPOOL

LONDON  
G. BELL AND SONS, LTD.

1914



DISCIPULĪS MEĪS



## PREFACE

HERBART once declared that the value of a classical education was to be measured by the extent to which antiquity was realized by the student. He implied that even to possess a full and accurate knowledge of the language and literature of Greece and Rome was of less account than to know the people themselves as living men and women, to understand their ways, and to enter into their thoughts.

*Olim* is a small book of Latin plays and dialogues, written in the hopes that it may help to make Roman "antiquity" real. It may be used as a supplementary reading-book for the second or third year of Latin; but it is really meant to be used for class-room acting, whereby Appius Claudius and the dissatisfied plebeians, Cato with his anti-feminist views, the schoolmaster whose noisy school tried the patience of his neighbour Martial, may be felt to live again. The scenes are laid at Rome or in Italy,



except in "Vestis Sanguine Tincta," but even here Ovid has already Romanized for us a tale of Babylon. Livy has provided the sources of "Virgīnia" and "Lēx Oppia"; Catullus, Martial, and Virgil the poems on which the shorter dialogues are based, and to which they form an introduction.

It has sometimes been felt that many Latin school books are better adapted for boys than for girls; perhaps *Ōlim* may claim to be primarily for girls. "Virgīnia," "Passer Mortuus," and "Vestis Sanguine Tincta" have already been acted in the class-room; "Lēx Oppia" was performed at Cambridge in September 1913 by some of the members of the Association for the Reform of Latin Teaching.

I wish to acknowledge my gratitude to Mr. Appleton, Perse School, Cambridge, for various helpful suggestions; to Dr. Rouse for some advice on a few points of language and "quantity"; and to Mr. C. L. Mainwaring, Whitgift School, Croydon, for his reading of the proofs and assistance in "hidden quantities."

E. RYLE.



## PROOEMIUM.

SCRIPTOR FĀBULĀRUM LĒCTŌRIBUS S.D.

Ut linguās Gallicam et Germānicam, sic linguam Latīnam, illi optimē intellegunt qui nōn modō legunt scribunt-ve, sed etiam dicunt. Nōne enim lingua est membrum quō hominēs dicunt?

Forsitan respondeās: Gallicēquidem vel Germānicē loquī volumus, quia Galli Germānī-que adhūc vivunt, nōbīs-que respondere possunt. Cūr autem Latīnē loquī oportet, cum Rōmānī iamdiū mortuī sint? At negō Rōmānōs mortuōs esse, siquidem verba et facta eōrum repetās, dum Catullum vel Virgīniam vel ipsum Catōnem tē esse simulēs. Hāc dē causā fābulās paucās brevēs-que composuī, quās dum agitis, Rōmānī Rōmānac-que esse vidēbiminī. Nē fortē negētis tālēs fābulās ā puellis puerīs-ve agī posse, āiō ferē omnēs aut ab amicis meis adultis, aut ā discipulis, iam antecū actūs esse.

VALĒTE.



COLLOQUIUM. "PASSER MORTUUS."

CATULLUS . . . . Poëta.  
LESBIA . . . . Mulier Römāna.

(*Catullus Lesbiam salūtātum venit, quam flentem cōspicit.*)

*Catullus.* Salvē, Lesbia mea cārissima. Ēheu! Quid factum est? Nam oculi tui flendō rubent.

*Lesbia.* Ō mī Catulle! amīce cārissime. Ecce! passer meus mortuus est. Ō mē miseram!

*Catullus.* Vae factum male! Morbō-ne dēcēssit, an fēlis eum necāvit?

*Lesbia.* Nesciō equidem quōmodo mortuus sit. Illud solum prō certō habeō: herī passer misellus in gremiō meō circumsiliēbat, ad mē pīpilābat, sicut solēbat; hodiē ancilla mea eum humī iacentem invēnit. Vae miselle passer!

*Catullus.* Nōnne eum māgnopere amābās, puella mea?

*Lesbia.* Ita vērō: plūs quam oculōs meōs eum amābam.

*Catullus.* Nec mīror—tam bellus erat passer.

*Lesbia.* Accēde hūc, Catulle. Vidēs-ne ālās eius parvulās ? |

*Catullus.* Videō. Sed collum quoque inspice. Quam molle, quam pulchrum est !

*Lesbia.* Hei mihi ! Dēliciās meās sepultum eō. Tū autem hīc manē, dum ad tē redierō.

[*Lesbia exit.*

*Catullus.* Dum Lesbia mortuum in hortō sepelit, ego carmen dē eō scribam. (*Catullus in tabellā scribit.*)

(*Lesbia redit.*)

*Lesbia.* In hortīs passerem sepelivī. Quid tū agis, Catulle ?

*Catullus.* Carmen dē passere mortuō composui. Vīs-ne audīre ? Carmen meum recitābō.

“ Lūgēte, ō Venerēs Cupīdinēsque,  
Et quantum est hominum venustiōrum,  
Passer mortuus est meae puellae,  
Passer, dēliciae meae puellae,  
Quem plūs illa oculīs suīs amābat,  
Nam mellītus erat, suamque nōrat  
Ipsam tam bene quam puella mātrem ;  
Nec sēsē ā gremiō illius movēbat,  
Sed circumsiliēns modo hūc modo illūc  
Ad sōlam dominam usque pīpilābat.

Quī nunc it per iter tenēbricōsum  
 Illūc unde negant redīre quemquam.  
 At vōbīs male sit, malae tenēbrae  
 Orcī, quae omnia bella dēvorātis!  
 Tam bellum mihi passerem abstulistis.  
 Vae factum male! Vae miselle passer!  
 Tuā nunc operā meae puellae  
 Flendō turgidulī rubent ocelli.”

*Lesbia.* Duleissimum carmen scrīpsistī. Grātiās  
 tibi māximās agō.

*Catullus.* Nunc autem abeundum est mihi.  
 Valē, cor meum.

*Lesbia.* Valē, Catulle cārissime.

[*Exit Catullus.*]

FĪNIS.

## VIRGĪNIA.

### *Drāmatīs Persōnae.*

APPIUS CLAUDIUS . . . . .	decemvir.
MĀRCUS CLAUDIUS . . . . .	clīēns Appī.
VIRGĪNIUS . . . . .	plēbēius.
LŪCIUS ICIILIUS . . . . .	iuvenis plēbēius cū Virgīnia spōnsa est.
VIRGĪNIA . . . . .	filia Virgīnī.
ANNA . . . . .	Nūtrīx Virgīniae.

Cīvēs. Līctōrēs Appī Claudī.

(Annō urbis conditae cccii scaena fit.)

SCAENA PRĪMA. (*Cīvēs in forō, prō tabernās,  
merīdīē stant.*)

*Civis I.* Decemvirī iam crudēlēs et tam superhī  
sunt, ut vix eōs diūtius ferre possīmus.

*Civ. II.* Ita vērō: plēbēī cīvēs servī iam factī  
sunt illīs.

*Civ. III.* Patriciī sōlī summōs honōrēs tenent,  
nec plēbēī eōs adipīscēi possunt.

*Civ. IV.* Patriciī agrōs pūblicōs colunt, nec plēbēi ūllam partem cōrum habent.

*Civ. V.* Patriciī, quī divitēs sunt, ūsūrās perscribunt grandēs, cum pecūniam mūtuanā dant; quās sī dēbitōrēs rependere nōn possunt, servī fiunt.

*Civ. VI.* Etiam liberī nostrī saepe servī sunt! (*Ridet.*)

*Civēs omnēs.* Vae miserōs Rōmānōs! Utinam tribūnōs habērēmus.

*Civ. I.* Ecce! Appius Claudius appropinquat.

*Civ. II.* Is pessimus omnium patriciōrum est.

*Civ. III.* Mārcus, eliēns Appī, ut semper, eum sequitur.

(*Intrat Appius Claudius cum Mārcō et lictōribus.*)

*Lictōres (civēs fascibus repellunt).* Cēdite vōs! Nōlite Appium Claudium impedire. (*Civēs irātī eum spectant.*)

*Appius C.* Quam irātī mē spectant plēbēi illī!

*Mārcus.* Nōn amant patriciōs plēbēi.

*App.* Bestiae sunt. Ego porcōs cōs esse putō.

*Mārcus.* Sānō, porcī sunt. Sed ego officium meum tibi semper praestābō.

[*Exeunt Appius, Mārcus, lictōrēs.*]

*Civēs omnēs (pūgnōs agitant).* Ō hominem scelerātum! Nōs-ne porcōs bestiās-que appellās?

*Civ. IV.* Quam puellam illic cōspiciō? Nisi fallor, Virgīnia est.



*Civ. V.* Rēctō dīcis, et nūtrix eam sequitur.

*Civ. VI.* Audīvī Virgīniam uxōrem fore Icili.

(*Virgīnia, quae loculōs tabellās-que fert,  
cum Annū intrat.*)

*Civēs omnēs.* Salvē Virgīnia!

*Civ. I.* Quō is tū? Unde vēnistī?

*Virgīnia.* Salvēte, dominī. Ē lūdō vēnī, ut domum redeam. Nam merīdiēs est.

*Anna.* Ecce Virgīnia! Appium Claudium appropinquantem vidēō.

*Virgīnia.* Tam crūdēlis et superbus est ille, ut mē terreat. Fēstīnā, Anna, ut domum quam primum redeāmus, ego et tū.

(*Appius ceterī-que redeunt.*)

*Virgīnia.* Valēte, dominī.

(*Appius eam animadvertit.*)

*Civēs omnēs.* Valē, Virgīnia. Dī tibi favcant.

[*Exeunt Anna et Virgīnia.*]

*Appius.* Quis est, Mārce?

*Mārcus.* Virgīnī plēbēī filia est. Herele! Formōsa puella est.

*Appius.* Tam pulchram puellam nunquam vīdī. Uxor mea fiet.

*Mārcus.* At, domine, plēbēīa illa est, tū autem patriciō genere ortus es. Lēgēs plēbēīam patriciō uxōrem fierī vetant.

*Appius.* Serva mea erit, sī uxor fierī nōn potest.

*Mārcus.* Sed quōmodo hoc fiet?

*Appius.* Ego cōsiliū inveniam. . . . Crās, Māree, dum illa ad lūdum per forum ambulat, tū eam captābis. Sī quis tē prohibēre cōnābitur, dīe tuam servam Virgīniam esse. Mentīrī enim necesse erit, ut eam captēs.

*Mārcus.* Servam meam Virgīniam esse adfirmābō, nec cīvēs mē meam servam auferre prohibēbunt.

*Appius.* Nunc abeāmus. Prōcēdite, licitōrēs, ut domum redeāmus. [*Exeunt Appius et ceteri.*]

SCAENA SECUNDA. (*In forō, mānc, cīvēs (I., II., III., V., VI.) prō tabernīs stant.*)

*Civ. I.* (*amīcum adloquēns*). Salvē, mī amīce. Quid est? Trīstior solitō vidēris.

*Civ. II.* Hei mihi! Quandō nōs liberī erimus?

*Civ. III.* Cum patriciī repressī erunt, tū nōs plēbēī liberī erimus.

*Omnēs.* Utinam patriciōs reprimere possēmus!

*Civ. IV.* (*intrat*). Salvēte amīci. Mārcum, Appī clientem, nuper cōspexī. Haud procul ā forō, in angulō, manēbat.

*Civ. V.* Quid homō vult? Cavēte eum.

*Civ. VI.* Nihil bonī cōgitat. Hoc prō certō habeō. Cavēte hominem.

(*Virgīnia et Anna intrant.*)

*Virgīnia.* Salvēte, vōs omnēs.

(*Mārcus furtim intrat et ad Virgīniam  
appropinquat.*)

*Civēs omnēs.* Salvē, Virgīnia.

*Civ. VI.* Quam laeta esse vidēris hodiē!

*Virgīnia.* Num dolēre dēbeō? Tot avēs hodiē  
canunt, tam dulcēs flōrēs sunt, tam clārē sōl lūcet,  
ut trīstis esse omnīnō nōn possim. (*Mārcus brachium eius subitō rapit.*) Hei! (*Civēs eam dēfendere  
cōnantur.*)

*Anna.* Hei! Aliquis dominam meam laedit.

*Civēs.* Abī tū! Quid facis? Nōlī puellam  
tangere.

*Anna.* O dī immortālēs, adiuvāte nōs!

*Virgīnia.* O Diāna, quae puellis semper favēs,  
dēfende mē.

*Mārcus.* Mea serva est.

*Civēs.* Tua serva? mentīris, improbe.

*Mārcus.* Iterum aiō, hanc puellam meam esse  
servam.

*Civēs.* Prō scelus!

*Anna.* Utinam pater tuus adesset!

*Civ. I.* Ego eum arcessam.

[*Exit ut Virgīnium arcessat.*

(*Icilius intrat.*)

*Icilius.* Quid est, amīcī? Virgīnia, quid accidit?

*Virgīnia.* Hic homō mē servam suam esse adfirmat. Dēfende mē, Icili cārissime!

*Icilius.* Tū, homō, quidnam āis? Virgīnia haec est, Virgīnī filia, quae mihi spōnsa est.

*Civēs.* Ita, Iciliō spōnsa est.

*Mārcus.* Tacēte cīvēs, ut ego loquar. Puella, enim, quam ante oculos vidētis, meae domī, meae ancillae filia, nāta est. Serva mea ōlim erat, sed ante hōs trēs annōs, dīrepta est mihi. Virgīnius deinde eam ēmit, quī nunc suam filiam eam esse simulat.

*Icilius.* Mentitur homō! Falsa dicit. Nōlite eī crēdere.

*Civēs.* Falsa dīcis. Tibi nōn crēdimus.

(*Mārcus Virgīniam capere iterum cōnātur.*)

*Virgīnia.* Hei mihi! Quid faciam? Dēfendite mē, cīvēs.

*Icilius.* Hercle! Haec nōn ferenda sunt! Audīte mē, cīvēs. Nimis diū superbiam patriciōrum nōs plēbēi tulimus. Iam resistendum est, iam agendum est. Sīn minus, nōs ipsī, et uxōrēs, et parvulī nostrī, semper servī erimus. Fortēs este, et Claudium hanc puellam capere prohibēte. Ille enim, ut crēdō, Mārcum hoc facere iussit.

*Civēs.* Ita vērō, virī erimus; decemvirīs resistēmus.

(*Appius et lictōrēs intrant.*)

*Virgīnia.* Patrem meum haud procul videō.

(*Virgīnius ab alterā parte intrat.*)

O Pater cārissime, quantum gaudeō quod tandem ades!

*Virgīnius (maestū vōce loquitur).* Nūntius mē certiōrem fēcit quid factum sit. Nōn necesse est hīs dē rēbus plūra loquī. (*Subitō cultrum de mēnsā tabernae rapit, quem in sinū tegit.*) Virgīnia cārissima, multa perīcula tibi imminent, ē quibus tē eripere cupiō. Plēbēcia quidem es, sed nunquam eris serva. Libera nāta es, moriēris libera. Nunc valē. Sic tē liberam servābō. (*Cultrō eam cōnfodit. Virgīnia ad terram cadit; omnēs circum eam concurrunt.*)

*Icilius.* Quid fēcistī, Virgīnī? Prō Iuppiter! Virgīnia mea mortua est!

*Civ. II.* Fortasse adhūc vivit.

*Civ. III.* Fricāte manūs ōius, fundite aquam super eam.

*Civ. IV.* Frūstrā facitis: iam mortua est.

*Civ. V.* Incredibile est illam iam esse mortuam.

*Civ. VI.* Num mortua illa est, quae paulō ante tam laeta tam-que hilaris fuit?

*Omnēs.* Vae factum male! Vae misella puella!

*Civ. II.* Suam filiam pater interfēcit.

*Virgīnius (ante civēs omnēs prōgreditur).* Ita est: meam filiam ego pater interfēcī, nē serva esset Claudiō. (*Manūs ad caelum tollit.*)

Obtēstor vōs, ō dī immortalēs, ut nōs plēbēiōs tandem adiuvētis, patriciōs-que pūniātis. Claudius causa fuit mortis filiae meae. Claudius vōbis poenās det, sicut meritus est. Haec precor. [*Lentē exit.*]

*Appius.* Ohē licōrēs! Prohibēte eum ēvādere, revocāte eum. Fēstīnāte, redūcite hominem ad mē.

*Licōrēs.* Cūr eum revocēmūs? Nōlumus tibi pārēre.

(*Fascēs dēpōnunt.*)

*Appius.* Quid est, virī? Cūr mihi nōn pārētis?

*Licōrēs.* Satis diū tibi servīmus.

*Civēs (clārissimā vōce).* Servī nōniam erimus. Tribūnōs poscimus, qui nostra iūra servent. Tribūnōs poscimus, tribūnōs poscimus!

*Appius.* Hei mihi, quid faciam? Mārce, dēfende mē!

*Mārcus.* Mē ipsum dēfendere cupiō.

*Appius.* Ō Licōrēs, virī optimī et fidissimī, dēfendite mē, dēfendite dominum vestrum. Ē forō mē dūcite. (*Civēs manūs eī īnferunt.*)

*Civ. III.* Ēn superbūm patriciūm! Tandem nōs timet, nunc tandem plēbem dēspicere dēsinit.

*Appius.* Servāte mē, licōrēs: metuō nē mē occīdant.

*Duo licōrēs (tandem Claudiō subveniunt).* Nōs tē servābimus, domine, nōs tē domum dūcēmus.

[*Exit Appius duōbus licōrībus nīxus.*]

*Civēs.* Superbiam decemvirōrum nōniam ferēmus  
(*Appium māgnīs clāmōribus sequuntur.*) Tribūnōs  
poscimus! Tribūnōs poscimus! [*Exeunt.*  
[*Exeunt Anna et Icilius, corpus Virgīniae ferentēs.*

FĪNIS.

“VESTIS SANGUINE TINCTA.”

*Drămatis Persōnae.*

PŶRAMUS . . . . . iuvenis Babylōnius.

THISBĒ . . . . . virgō Babylōnia.

{ Pater Pŷramī.

{ Māter Pŷramī.

{ Pater Thisbēs.

{ Māter Thisbēs.

II. Puellae Babylōniae.

(Domūs Pŷramī et Thisbēs contiguae sunt.)

SCAENA PRĪMA. (*Extrā casūs contiguās.*)

(*Intrat Thisbē cum duābus puellis.*)

*Thisbē (suspīrat).* Hei mihi!

*Puella I.* Dīc nōbīs, Thisbē, quamobrem suspīrēs.

*Puella II.* Cūr nunquam nōbīscum lūdīs, ut  
anteā solēbūs?

*Thisbē.* Nesciō quae sit mihi causa trīstitiae.

*Puella I.* Pŷramum equidem crēdō causam esse.

*Puella II.* Gaudēre tē oportet, nam haud dubium  
est quī ille tē cēterīs puellis praeferat.



*Thisbē.* Abīte vōs, precor. Nam sermōnis vestri mē taedet.

*Puella I.* Abeāmus, *Thisbē* enim sōla esse cupit.

*Puella II.* Valē, *Thisbē.* (*Pŷramus intrat.*)

Ecce! *Pŷramus* ipse adest. [*Exeunt puellae.*]

*Thisbē.* Valēte vōs. Salvē, mī *Pŷrame.*

*Pŷramus.* Salvē tū quoque, *Thisbē* mea. Tēcum loquī cupiō.

*Thisbē.* Quid vīs, *Pŷrame*?

*Pŷramus.* Ō *Thisbē*, iamdūdum amīcī sumus, ut ipsa cōgnōvistī, iamdūdum contiguās domōs habitāmus. Sed quandō mihi licēbit tē uxōrem dūcere?

*Thisbē.* Nesciō quandō hoc futūrum sit, nam parentibus nostrīs haudquāquam placet. Sed ego tibi quam primum nūbere volō.

*Pŷramus.* Quōmodo parentibus nostrīs hoc persuādēre poterimus?

*Thisbē.* Utinam nē tam sevērī essent patrēs nostrī!

(*Patrēs intrant.*)

{ *Pater Pŷramī.* Heus tū, *Pŷrame*, quid facis?

{ *Pater Thisbēs.* Heus tū, *Thisbē*, quid facis?

*Pŷramus.* Nihil tē cēlābō, mī pater: hanc puellam uxōrem dūcere cupiō.

*Thisbē.* Omnia fatēbor, mī pater: huīc iuveni nūbere cupiō.

*Pater P̄yram̄i.* Hem! Venī m̄ecum, mī fili.  
 Domum redeundum est tibi.  
*Pater Thisb̄ēs.* Hem! Venī m̄ecum, filia mea.  
 Domum redīre necesse est.

*P̄yramus.* Valē, Thisbē. Mox tē revīsam.

*Thisbē.* Valē, P̄yrame. Brevī tempore tē  
 revīsam.

(*Suam quisque domum intrant.*)

SCAENA SECUNDA. (*In casīs contiguīs.*)

(*P̄yramus et Thisbē suae quisque domī sedent.*)

(*Māter P̄yram̄i domum suam intrat.*)

*Māter P.* Dic mihi, mī fili, quārē tam maestus  
 sis.

*P̄yramus.* Multīs dē rēbus cōgitō, māter mea.

*Māter P.* Nōnne mihi loquī vīs?

*P̄yramus.* Ita, māter, tibi omnia dīcam, ut mē  
 moneās. Nam mē Thisbēn amāre adfirmō; eam  
 uxōrem dūcere cōstituī.

*Māter P.* Tū-ne illam amās? Tū-ne illam  
 dūcere vīs? At humiliōre genere orta est quam tū.  
 Nōbīs eam indignam esse cēnseō.

*P̄yramus.* Nōs eā indignōs esse dicere oportet;  
 omnibus enim, quās Oriēns habet, puellis praeferenda  
 est.

*Māter P.* Quidnam pater tuus dicet? Sed ipse adest.

(*Intrat pater P̄yram̄.*)

*Pater.* Ohē, mī fili! Cum vicinō nostrō nūper locūtus sum, quem interrogāvī quantam dōtem filiae suae dare posset. Is multam dōtem sē esse datūrum negāvit. Ergō tē puellam, illam dūcere vetō.

*P̄yramus.* At, mī pater . . .

*Pater.* Vetō tē dē eā loquī.

*P̄yramus.* Sed, pater, . . .

*Pater.* Imperō tibi nē dē eā dicās; nam quae dixī, dixī. Uxor mea, mēcum venī.

[*Exeunt pater et māter P.*

(*Pater et māter Thīsbēs domum suam intrant.*)

(*Thīsbē lacrimat.*)

*Māter Th.* Stultissima puella, dēsine lacrimāre.

*Thīsbē.* Eheu, māter, tū et pater meus causa estis mihi dolōris.

*Māter.* Nōlī tālia dicere, filia; nihil enim fēcimus nisi quod tē dē P̄yramō cōgitāre vetuimus.

*Thīsbē.* At eī nūbere cupiō.

*Māter.* Sed pater tuus nūptiās istās vetat.

*Thīsbē.* Licet igitur mihi dolēre.

*Pater.* Praetereā, patrī eius dixī mē dōtem māgnam tibi dare nequīre.

(*Thīsbē lacrimat.*)

*Pater.* Parentibus pārendum est ā filiābus: imperō tibi ut lacrimāre dēsinās.

*Māter.* Venī mēcum, mī coniunx; filiam nostram hīc relinqūamus. [*Exeunt pater et māter.*]

*Thisbē.* Prō parentēs crūdēlēs! Tamen, sī palam loquī nōn licet, at nūtū signīs-que loquēmur, ego et P̄yramus.

(*P̄yramus ad parietem appropinquat, per rīmam loquitur.*)

*P̄yramus (submīssā vōce).* Thisbē, hūc venī, ut tēcum loquar.

(*Thisbē ad rīmam appropinquat.*)

*Thisbē.* Sōlus-ne es, mī P̄yrame?

*P̄yramus.* Sōlus, Thisbē. Nēmō adest.

*Thisbē.* Gaudeō quia hanc rīmam invēnimus.

*P̄yramus.* Doleō equidem quod pariēs nōbīs obstat.

*Thisbē.* Quōmodo convenīre poterimus?

*P̄yramus.* Cōnsilium iniī; nocte enim cūstōdēs fallēmus, domō exhibimus, urbem quoque relinqūemus, ad tumulum Ninī conveniēmus.

*Thisbē.* Quōmodo locum agnōscam?

*P̄yramus.* Ardua mōrus ibi est, haud procul ā fonte gelidō.

*Thisbē.* Euge! Nōlī mē fallere.

*P̄yramus.* Tē nōn fallam. Valē, Thisbē.

*Thisbē.* Valē, P̄yrame.

(*Suae quisque partē ōscula dant.*)

SCAENA TERTIA. (*In agrō lātō, nocte; arbor prope fontem est; ā dextrā caverna est, ā tergō sunt silvae.*)

(*Thisbē intrat.*)

*Thisbē.* Quam callidē cūstōdēs fefelli! Haec est arbor dē quā P̄ramus locūtus est. Cōnsīdam ut eum maneam. [*Cōnsīdit; leaena ē silvīs exit.*

Hei mihi! Quam feram illīc videō? Leaena est! Quō mē referam? In antrum illud fugiendum est.

(*In cavernam fugit, v̄lāmine humī relicto. Leaena ē fonte bibit; v̄lāmen cōnspicit, quod deinde laviat; postrēmō discēdit.*)

(*P̄ramus intrat.*)

*P̄ramus.* Fēstinandum est mihi, nē Thisbēn fallam . . . Ades-ne, mea Thisbē? (*Subitō v̄lāmen cōnspicit.*) Ecce! quid est? Nōnne Thisbēs vestem repperī, sanguine tīctam? Et ferae alicūius vestigia in pulvere videō. Hei mihi! Mortua est Thisbē—ego tē, miseranda, perēmī; nam hunc ad locum tē venīre iussī, neque ipse prior adfuī. Ō leōnēs, quīcumque sub hāc rūpe habitātis, meum quoque corpus dīvellite! . . . Immō vērō, meā ipse manū vitam effundam. (*V̄lāmen tollit.*) Ō vestis

meae amantis, sanguine tincta, meum quoque sanguinem accipe. (*Sē gladiō cōnfodit.*)

(*Thisbē ē cavernā redit.*)

*Thisbē.* Redire nunc licet, nam leaena discēssit. Quandō P̄ramus veniet? Dē pericūlō meō eī nārrāre cupiō.

(*P̄ramī membra solum pulsant ; Thisbē subito pedem retrō fert.*)

Ā! P̄ramum ipsum humi iacentem cōspiciō. P̄rame, respondē. Tua tē cārissima Thisbē nōminat. Audi!

(*P̄ramus oculos ērigit, sed, vīsū Thisbē, recondit.*)

Ō miseram mē! Tē mortuō vīvere nōn possum, itaque mē gladiō tuō occīdam. Sic mortem unā obeāmus.

(*Ferrō incumbit.*)

SCAENA QUĀRTA. (*Ibidem. Māne.*)

(*II. Puellae Babylōniae intrant ; urceōs portant.*)

*Puella I.* Salvē! Quid agis tū?

*Puella II.* Salvē, amīca mea. Māter mea mē aquam ē fonte illō haurire iussit.

*Puella I.* Mihi quoque māter imperāvit ut aquam domum reportārem.

*Puella II.* Num Thisbēn hodiē vīdisti? Domō hāc nocte ēgressa, nōndum rediit.

*Puella I.* Nesciō equidem ubi sit. Sed P̄yramum quoque domō abesse audīvī.

*Puella II.* Ad fontem pervēnimus. . . . Hei! Quōs humī iacentēs videō? Sanguine tīctās vestēs gerunt.

*Puella I.* Ō dī immortālēs! P̄yramus et Thisbē sunt.

*Puella II.* Gladium cruentātum Thisbē tenet.

*Puella I.* Ambō mortuī sunt.

*Puella II.* Parentēs eōrum arcessere nōs oportet.

*Puella I.* Currāmus, egō et tū, ad eōs arcessendōs. [*Exeunt puellae.*]

SCAENA QUĪNTA. (*Circum urnam parentēs puellae-queque lentē circummeunt.*)

*Pater et Māter P̄yramī.* P̄yramus mortuus est. Lacrimāte omnēs, quia P̄yramus mortuus est.

(*Corōnās urnae impōnunt.*)

*Pater et Māter Thisbēs.* Thisbē mortua est. Lacrimāte omnēs, quod Thisbē mortua est.

(*Corōnās urnae impōnunt.*)

*Puellae.* Et P̄yramus et Thisbē mortui sunt. Lacrimāte omnēs, cum P̄yramus et Thisbē mortui sint.

(*Corōnās urnae impōnunt.*)

*Omnēs parentēs.* “Sed quod rogīs superest, unā  
requiēscit in urnā.”

*Pater et Māter Pȳramī.* Avē atque valē, Pȳrame!  
In unā urnā requiēscunt Pȳramus et Thisbē.

*Pater et Māter Thisbēs.* Avē atque valē, Thisbē.  
In unā urnā requiēscunt Thisbē atque Pȳramus.

*Puellae.* Avēte atque valēte, Pȳrame et Thisbē.

*Omnēs.* In unā urnā requiēscunt.

[*Exeunt.*

FĪNIS.



## LĒX OPPIA.

### *Dramatis Persōnae.*

M. PORCIUS CATŌ . . . . .	.	.	Cōsul.
M. IŪNIUS BRŪTUS . . . . .	.	.	} tribūnī plēbis.
T. IŪNIUS BRŪTUS . . . . .	.	.	
M. FUNDĀNIUS . . . . .	.	.	
L. VALERIUS . . . . .	.	.	} uxor Valerī.
FLĀVIA . . . . .	.	.	
FUNDĀNIA . . . . .	.	.	} amīcae Flāviae.
IŪLIA . . . . .	.	.	
AURĒLIA . . . . .	.	.	
CLAUDIA . . . . .	.	.	} servus Catōnis.
DĀVUS . . . . .	.	.	

(Annō urbis conditae DLVIII scaena fit.)

### SCAENA PRĪMA. (*Catōnis domī.*)

*(Dāvus cēnam parat; cibōs mēnsae impōnit.)*

*Dāvus.* Iam omnia parāta sunt, quamquam haud multa in mēnsā appārent! Nucēs sunt, et cāseus—pol! quam simplicem vītam agit dominus meus! Fabac, aqua pūra—herele! omnium rērum

sumptus ab eō aliēnissimus est. Utinam nē nōbīs quoque servīs eōdem modō vīvendum esset.

“Est mihi nōnum superantis annum”—pānis cōpia, sed Albānī vel Falernī nē cyathus quidem.

(*Intrat Catō.*)

*Catō.* Dāve! Parāvistī-ne cēnam mean? Filio-  
lum meum, dum ā mātrem lavātur, spectāvī, ut soleō: nunc igitur cēnandum est mihi.

*Dāvus.* Sāne, domine. Cēna appōita est.

(*Catō esse incipit.*)

*Catō.* Ō tempora! ō mōrēs! Quō ruimus Rōmānī? Sōlus esse videor, quī mōribus antiqūis adhūc studeam. Cēterī epulīs, strāgulīs, aulacīs, purpurā, aurō lūxuriant, repūblicam neglegunt.

*Dāvus.* Mulierēs, ut crēdō, nisi lēge Oppiā continērentur, immodicae lūxuriae indulgērent.

*Catō.* Ō Dāve, tū nescīs? Sunt quī illam lēgem abrogārī cupiant. Abrogābunt etiam, nisi ego eis obstiterō. Odiō enim est Lēx Oppia mulieribus omnibus.

(*Iānuā pulsātur.*)

*Dāvus.* Aliquem iānuam pulsantem audiō.

[*Exit.*]

*Catō.* Quisnam tam sērō vēnit? (*Redit Dāvus.*)  
Quis adest, Dāve?

*Dāvus.* Turba mulierum extrā aedēs stant, ōrantium ut tēcum loquī liceat.

*Catō.* Quid? Mulierēs etiam in pūblicō convenīre, et magistrātūs adīre et appellāre audent? Prō pudor! Statim discēdant, domum redeant! Dīc mē cum eīs loquī omnīnō nōlle. (*Dāvus exit.*) Minus cum fēminīs negōtīi habērēmus, sī iūs suum et māiestātem retinērent virī. Nunc autem— (*Dāvus redit.*)

*Dāvus.* Sī tēcum loquī non liceat, ōrant ut hoc volūmen ēvolvās, perlegās. Inde intellegēs quid petant. In limine tuō manēre cōstituērunt, dōnec respōnsum ā tē accēperint.

*Catō.* Dī tantam impudentiam pūniant! Dā mihi volūmen. Quid in eō scrīptum est? (*Recitat.*)

“Cōnsuli Mārcō Porciō Catōnī matrōnae cēteraeque mulierēs Rōmānae salūtem dīcunt. Vīginti iam annōs mulierēs Rōmānae iniūriās lēgis Oppiae tulimus. Nec plūs sēmūnciam aurī habēre, nec vestimentō versicolōrī ūtī, nec iūnetō vehiculō in urbe oppidō-ve, nisi sacrōrum pūblicōrum causā, vehī licet. Cūr sit lāta lēx, bene scīmus: Hannibal in Italiā erat, victor ad Cannās; Tarentum, Arpōs, Capuam iam habēbat; ad urbem ipsam admōtūrus exercitum vidēbātur; Rōmānī omnibus subsidiīs egēbant. Nōn ad coercendam lūxuriam mulierum lēx lāta est, sed quia omnium privātōrum pecūniae in ūsum pūblicum vertendae erant. Nunc autem cum flōret rēs pūblica, crēscit in diēs privāta omnium fortūna,

ōrāmus ut prīstinus ōrnātus nōbīs reddātur. Illud quoque animadvertendum: mulierēs eīs prīvantur quae virīs puerīs-que permittuntur. Virī enim purpurā, ūtuntur, praetextāti in magistrātibus, in sacerdotiīs; liberī nostrī praetextātīs purpurā togīs ūtuntur; etiam equī speciōsius instrātī sunt quam uxōrēs vestitae. Immō vērō, sociōrum Latīnī nōminis uxōribus vidēmus ea concēssa ōrnāmenta quae nōbīs sunt adempta: illae vehuntur per urbem, nōs pedibus sequimur. Haec nōn ferenda sunt, neque ā nōbīs diūtius ferentur. Prōmitte, igitur, fore ut lēx Oppia quam prīmum abrogētur.”

— Ēdepol! Quis iūris cōsultus haec scripsit?

*Dāvus.* Vīs - ne mulieribus illis respondeam? Metuō nē tōtam noctem tē manēre cōstituerint.

*Catō.* Imperā eīs ut statim discēdant; nam prius lupī āgnōs fugient quam ego fēminīs cēdam. (*Exit Dāvus.*) Dī immortālēs! Ubinam gentium sumus? Quam repūblicam habēmus, sī domī meae ā mulieribus cōsul ego obsideor? (*Dāvus redit.*)

*Dāvus.* Abscēssērunt, ut iussistī, sed vereor nē quās insidiās parent; minimē amīcē dē tē locūtāe sunt.

*Catō.* Nīl timeō. Sed nox adest, et lucernīs parcere soleō: eāmus igitur dormītum.

[*Exeunt.*]

SCAENA SECUNDA. (*Valerī dom̄.*)

(*Valerius et Flāvia intrant.*)

*Flāvia.* Pollicēre, igitur, fore ut lēgem Oppiam abrogandam cēnseās.

*Valerius.* Deōs immortalēs obtēstor mē prō vōbīs mulieribus hodiē āctūrum. (*Sēcum*) Nisi hoc faciam, vix domum redīre ausim!

*Flāvia.* Catōnī ā tē fortiter resistendum erit. Saxīs dūrior est homō.

*Valerius.* Catōnem nihil timeō. (*Sēcum*) Īram uxōris multō magis metuō.

*Flāvia.* Bene. Ī nunc, et aliīs magistrātibus persuādē ut nostram causam hodiē agant. Ego et amīcae quaedam dēlīberābimus quid hodiē sit faciendum nōbīs.

*Valerius.* Ībō, ut iubēs. Valē. [*Exit.*]

*Flāvia.* Ūnus saltem tribūnus nōbīs auxilium datūrus est. Ut cēterae quoque mātrōnae virōs suōs eōdem modō regere sciant!

(*Intrant quīnque fēminae.*)

*Omnēs.* Salvē Flāvia!

*Flāvia.* Salvēte vōs. Egomet meō coniugī persuāsī, ut nōs adiuvāret. Vōsne etiam bene prōfēcistis?

*Fundānia.* Sānē. Frāter meus pollicitus est sē contrā Catōnem prō nōbīs dīcturum, si tuus Valerius idem factūrus sit.

*Claudia.* Pater meus diū recūsāvit quōminus nōbīs subvenīret; sed cum adfīrmāssem, nisi lēx esset abrogāta, illi quoque ōrnāmenta, aurum, praetextās ā mē ademptum irī, tandem mihi concēssit.

*Iūlia.* Ut scītis, iuvenī cūdam praetōriō nūper spōnsa sum. Negāvī mē prius eī nūptūram quam lēx tollerētur. Ille quoque nostram causam aget.

*Aurēlia.* Avunculum meum ad nostrās partēs facile addūxi; quī, cum sit artium Graecārum amantissimus, quilibet facere vult, ut Catōnī obstet.

*Flāvia.* Sine dubiō Fortūna nōbīs favet. Sed Catō cōsul metuendus est.

*Fundānia.* Ad malam crucem itō! Fēminās ōdit.

*Claudia.* Servās nōs esse velit. Ut mē miseret uxōris eīus!

*Iūlia.* Dē fēminīs nīl nisi malum dīcit.

*Aurēlia.* Quam pertināciter contrā nōs se gessit herī!

*Flāvia.* At tempus terimus. Quid hodiē nōbīs faciendum est?

*Omnēs.* Ad forum rūsus dēscendāmus, viās omnēs obsideāmus.

*Fundānia.* Magistrātūs ad cūriam euntēs suffrāgia poscāmus.

*Claudia.* Lapidēs in cūriae fenestrās cōniciāmus.

*Iūlia.* Immō vērō ipsae in cūriam inrumpāmus.

*Aurēlia.* Bellum cūctīs patribus indicāmus, dōnec nōbīs petentibus pārēbunt.

*Flāvia.* Satis iam dictum est. Sequimini mē, comitēs. Quīnta enim hōra est, quā patrēs cōscripti ad cūriam ire solent.

*Omnēs.* Ad forum dēscendāmus.

[*Exeunt.*]

SCAENA TERTIA. (*Haec procul ā forō.*)

(*Intrant mulierēs.*)

*Flāvia.* Hīc magistrātūs opperiēmur. Simul ac vēnerint, singulōs virōs adeāmus, rogēmus-queque ut lēgem Oppiam abrogandam cēscant.

*Aurēlia.* Catōnem praecipuē adeūmus, quamvīs minimē sit exōrābilis.

*Iūlia.* Iūniōs Brūtōs, tribūnōs plēbis, ambōs parum amīcōs esse putō. Tū, Fundānia, Mārēi Brūtī togam corripe, nē tē loquentem fugiat; ego Titum dēmorar, mē-que audīre cōgam.

*Fundānia.* Libenter faciam. Pol, dē tergō eius ante togam dētraham quam relinquam.

*Claudia.* Ecce! meō in sinū lapidēs nōnnullōs

grandiōrēs māne condidī. Mihi est prōpositum eōs ad cūriam cōnicere, ut senātōrēs nōs respicere cōgāmus.

*Flāvīa.* Tacēte comitēs! Hūc dēscendunt magistrātūs. Catōnem ipsum cōspiciō. Valerius meus et Fundānius, Brūtīs comitantibus, pōne sequuntur.

(*Intrant magistrātūs.*)

*Catō.* Quam turbam muliebrem videō? Num sacrificiōrum causā convēnerunt?

*Mārcus Iūnius Brūtus.* Āgmen hostium esse vidētur!

*Titus Iūnius Brūtus.* Timeō nē quid incommodī nōbīs impendat.

*Fundānius.* Timeō nē multīs incommodīs mulierēs iam diū vexentur.

*Catō.* Quid? Num per medium āgmen fēminārum mihi ad forum perveniendum est?

*Aurēlia* (*appropinquat, Catōnis genua complectitur*). Mārce Porcī Catō, per Iūnōnem tē obsecrō ut munditiās ōnātūsque nōbīs reddī patiāris.

*Catō.* Absecēde nunciam, impudentissima! Mē-ne cōnsulem sic aggrederis?

*Fundānia.* (*Mārce Brūtī togam subitō corripit.*)  
Mārce Iūnī Brūte, supplex tē ōrō—

*M. I. B.* Abi tū! Quid mē raptās?

*Fundānia.* Audī, sis, quā dē causā tē tencam.



*M. I. B.* Nē togam meam dētrāxeris! Nōlī mē impedīre.

*Fundānia.* Per deōs immortālēs tē ōrō ut rēs nostrās respiciās.

*Iūlia* (*Titi Bruti brachium corripit*). Tite Iūnī Brūte, tribūnum plēbis tē poscō ut iniūriās fēminārum tollendās cūrēs.

*T. I. B.* Quid facis, mulier? Brachium meum relinque, sōdēs.

*Iūlia.* Attende, prius, quid poscāmus mulierēs.

*Catō.* Abīte, fēminae.

*M. I. B.* Heus, licetōrēs!

*T. I. B.* Nisi in vīcula dūcī vultis, abscēdite!

*Flāvia.* Audīte nōs, Quirītēs!

*Claudia.* Nōlite supplicēs repudiāre.

*Fundānia.* Dī vōs pūniant, rēctī inimicōs!

*Aurēlia.* Nihil iniūstī precāmur.

*Iūlia.* Fīat iūstītia modo.

*Catō* (*tribūnās*). Dicite eis ut taceant. Aliquid prōnūntiāre cupiō.

*M. Fundānius.* Tacēte omnēs. Aliquid prōnūntiāre Catō cupit.

*L. Valerius.* Tacēte omnēs. Catōnem audīte.

*Omnēs.* Tacēmus et audīmus.

*Catō.* Nostram ob culpam, Quirītēs—Quirītibus enim, nōn mulierculīs loquor—

*Flāvia.* Cūr nōn mulierculīs etiam loqueris, Catō?

*M. I. B.* Tacē tū. Cōnsulem audi.

*Catō.* Nostram ob culpam, dicō, Quirītēs, tantum cum ūniversis fēminis negōtiū habēmus; domī enim ab eis victa est libertās nostra.

*Aurēlia.* At fēminae libertātem nōn habent—

*T. I. B.* Tacē tū.

*Catō.* Haec cōnsternātiō muliebris, sive suā sponte, sive auctōribus vōbis, Mārce Fundānī et Lūcī Valerī, facta est, haud dubiē ad culpam magistrātuum pertinet.

*Claudia.* Haud dubiē, cum—

*Catō.* Dēdecorī sit nōbīs, sī, ut plēbis quondam, sic nunc mulierum sēcēssiōne, lēgēs accipiendae vel abrogandae sint.

*Fundānia.* Dēdecorī sit vōbis nisi lēx Oppia abrogētur.

*M. I. B.* Tacē, mulier.

*Catō.* Sed quī hic mōs est in pūblicum prōcurrendī et obsidendī viās, et virōs aliēnōs appellandī? Illud ipsum suōs quaeque domī rogāre nōn potuerunt? Quamquam nē domī quidem lēgēs rogandās abrogandās-ve cūrāre decuit. Māiōrēs nostrī fēminās nē prīvātam quidem rem per sē agere voluerunt, sed in manū esse parentum, frātrum, virōrum. Nōs iam etiam rem pūblicam capessere patimur.

*Omnēs mulierēs.* Sānē. Iūs suffrāgiū mulieribus permittendum est!

*T. I. B.* Tacēte, vōs.

*Catō.* Sed nunc ipsam ad lēgem Oppiam veniō. Cūr fēminae hanc lēgem abrogārī cupiunt? Porrō, ut aurō et purpurā fulgeant, ut carpentīs per urbem vehantur, ut nūllus sit modus sūmptibus lūxuriaeve. Saepe mē audīvistis dē fēminārum sūmptibus querentem, saepe dē virōrum—

*Iūlia.* Vēra dīxistī. Saepius audīvimus.

*M. I. B.* Tacē, fēmina.

*Catō.* Dīcō nimiam lūxuriam iam nunc civitātī inesse: sīn autem retinācula hūius lēgis remōta erunt, nec modus nec fīnis erit sūmptibus. Ego nūllō modō abrogandam lēgem cēnseō.

*Mulierēs.* Prō pudor!

*Valerius.* Pauca respondēre mē oportet. Questus es, Mārce Catō, in pūblicum vēnisse mulierēs. Nōn dēbuistī eās reprehendere, sī in causā propriē ad ipsās pertinentī id fēcērunt. Quid tamen fēcērunt, nisi quod supplicēs nōs adiērunt? Superbās, medius fidius, aurēs habēmus, sī, cum dominī servōrum nōn fāstīdiant precēs, nōs rogārī ab honestīs fēminīs indignāmur. Fēminās audiendās cēnseō.

*Fundānius.* Mihi etiam quaedam dīcenda sunt. Utrum sit civitātī nimia lūxuria necne, nesciō. Sed sive ita est, sive nōn est, cūr sōlae fēminae lēge coercendae? Aut virīs quoque modum impōne, aut fēminīs adime. Egomēt lēgem abrogandam cēnseō.

*Mulierēs.* Euge Fundānī! Optimē dixistī.

*Catō.* Nōn in forō, sed in cūriā, dē hāc rē disputandum est nōbīs. Hīc maneant fēminae. Nōs ad cūriam eāmus. [*Exeunt virī.*]

*Flāvia.* Dī rem prosperē gerant!

SCAENA QUĀRTA. (*Extrā Brūtōrum aedēs.*)

(*Intrant Mārcus Brūtus et Titus Brūtus.*)

*M. I. B.* Rogātiōnī collēgārum nostrōrum inter-  
cēssimus, ego et tū.

*T. I. B.* Ita vērō. Potēns vōx est "Vetō" . . .

*M. I. B.* Eequid audīs? Turba hominum appropinquāre vidētur.

*T. I. B.* Intrō eāmus—fēstīnēmus—mulierēs illae nōs persequuntur! [*Domum citō intrant.*]

(*Mulierēs ad aedēs perveniunt.*)

*Flāvia.* Haec est domus Brūtōrum.

*Iūlia.* Forēs pulsā, Aurēlia. [*Aurēlia pulsat.*]

*Claudia.* Iānuam aperīre eōs iubē.

*Aurēlia.* Mārce Brūte! Tite Brūte! Aperīte iānuam!

*Fundānia.* Abscēdere nōlumus, dōnce ad nōs veniētis.

(*M. et T. Brūtī ad fenestram appārent.*)

*M. I. B.* Quid est, dominae?

*T. I. B.* Ecquid vultis, dominae?

*Flāvia.* Iānuās vestrās obsidēre nōn ante dēsīnēmus quam intercēssiō ā vōbīs remōta erit.

*M. I. B.* Nōs minīs movērī crēditis?

*T. I. B.* In vincula dūcēminī, nisi statim abībitis.

*Fūlia.* Vincula nōn timēmus.

*Fundānia.* Immō vērō, vinculis nōs ipsās ad postēs vestrōs ligābimus, nē quis nōs abdūcere possit.

*Claudia.* Lapidēs per fenestrās vestrās cōniciēmus.

*Aurēlia.* Facēs parātās habeō. Quīn aedēs ipsās incendimus?

*Flāvia.* Omnēs tabellāriōs opperiēmur, quī litterās vōbīs adferunt; epistulās ātrō aliquō venēnō ita corruppēmus ut legī nōn possint.

*M. I. B.* Tite, quid fierī oportet?

*T. I. B.* Mārce, quid tū faciendum esse putās?

*M. I. B.* Illīs mōrem gerere mālō quam domī meae obsidērī.

*T. I. B.* Vīs-ne remittāmus intercēssiōnem nostram?

*M. I. B.* Ita. Remittere eam praestat.

*Ambō.* Remittimus intercēssiōnem.

*Mulierēs.* Intercēssiōnem remittunt! Iam abrogābitur lēx Oppia. Iō triumphē!

*Flāvia.* Domum redeāmus ut purpuram aurum-

que statim induāmus. Catōnem superāvimus  
mulierēs.

*Claudia.* Fortasse aliquandō etiam suffrāgiī iūs  
nōbīs permittētur.

*Omnēs.* Intereā, nōniam lēge Oppiā continēbimur.

[*Excunt.*

FĪNIS.

## LŪDĪ MAGISTER.

MĀRTIĀLIS . . . . . poēta Rōmānus.  
IUVENĀLIS . . . . . amīcus poētae.

(*Poēta Mārtiālis domī sedet ; in tabellīs scribit ; extrā  
aedēs māgnā clāmōrēs puerōrum et magistrī  
audiuntur.*)

*Mārtiālis.* Prae clāmōribus illis scribere nōn  
possum.

*Vōx magistrī.* Tacē tū, improbe, nisi vāpulāre  
vīs.

*Vōx puerī.* Nōlī mē ferire ; prēmīttō mē dili-  
gentem fore.

*Vōx aliūs puerī.* Ō ! Hei mihi ! Ō mē miserum !

*Mārtiālis.* Ō lūdī scelerāte magister ! Quid tē  
faciam ? Ita murmure saevō verberibus-que tonās,  
ut nē cōgitāre quidem possim.

(*Intrat Iuvenālis.*)

*Iuvenālis.* Salvē, Mārtiālis.

*Mārtiālis.* Et tū, Iuvenālis, salvē.

*Vōx puerī.* Ō magister, nōn intellegō quid dicās.

*Vox magistrī.* Stulte! An vāpulāre cupis?

[*Clāmōrēs audiuntur.*

*Iuvenālis.* Quid audiō? Num gladiātōrēs exercentur, an servī cruciantur?

*Mārtiālis.* Lūdus lītterārum est. Audis - ne clāmōrēs discipulōrum, ipsīus-que magistrī?

*Iuvenālis.* Audiō. Hoc-ne cottīdiē fit?

*Mārtiālis.* Utinam nē ita esset! Māne enim galli nōndum silentia rūpērunt cum magister ille iam tonat, puerī-que lacrimant.

*Iuvenālis.* Quōmodo vicīni dormīre possunt? Grave est pervigilāre.

*Mārtiālis.* Nōs miserōs! Somnum frūstrā rogāmus, nam postquam puerī cum lucernis suis prīmā hōrā advēnērunt, nec quiēs nec somnus nōbīs est.

*Iuvenālis.* Tuī mē miseret: nec quiēscendī nec cōgitandī locus tibi hīc esse vidētur.

*Mārtiālis.* Vēra dīcis: ferulae tristēs nunquam cēssant.

*Iuvenālis.* Vae discipulōs infēlicēs! Num magistrum suum dīligunt?

*Mārtiālis.* Minimē crēdō: invīsum caput est et virginibus et puerīs.

*Vocēs discipulōrum.* Ō! Hei! Ignōscite nōbīs, ō magister.

*Vox magistrī.* Silēte, vōs omnēs.



*Iuvenālis.* Utrum minās cīus tantum metuunt, an ipsa verbera?

*Mārtiālis.* Ipsa verbera et metuunt et patiuntur. Vidisti-ne unquam fabrum cum effigiem caudicī vel magistrātūs equō aeneō aptat? Ut aera resultant cum faber incūdēs percutit, sic discipulī infēlicēs saliant et clāmant cum ab hōc magistrō vāpulant.

*Vōx magistrī.* “Dīcat filius Albīnī: sī dē quīncūnce remōta est ūncia, quid superat?”

*Vōx puerī.* Triēns.

*Vōx magistrī.* Eu! Rem poteris servāre tuam. Redit ūncia, quid fit?

*Vōcēs puerōrum.* Sēmis!

*Vōx magistrī.* Cūr ūniversī clāmātis? Poenās mihi dabitis.” [Clāmōrēs audiuntur.]

*Iuvenālis.* Quantī clāmōrēs tolluntur!

*Mārtiālis.* Haec diūtius ferre omnīnō nequeō. Pol, in māgnō amphitheātrō, cum turba plaudit, et suae quisque vincentī parmae favet, mītiōr hōc fit clāmōr.

*Iuvenālis.* Quīn epistulam ad magistrum mīttis, ōrās-que ut discipulōs dīmīttat, rogās-ve quantum accipere velit ut taceat?

*Mārtiālis.* Versibus epistulam compōnēbam cum tū vēnistī. Audī, precor, ut sciam utrum tibi placeat necne.

*Iuvenālis.* Recitā, sōdēs. Libenter audiam.

*Martiālis.*

“ Quid tibi nōbiscum est, lūdī scelerāte magister,  
invīsum puerīs virginibus-que caput ?

Nōndum cristātī rūpēre silentia gallī :

murmure iam saevō verberibus-que tonās.

Tam grave percussīs incūdibus aera resultant,

causidicum mediō cum faber aptat equō :

Mītiōr in māgnō elāmōr furit amphitheātrō,

vincentī parmae cum sua turba favet.

Vicīnī somnum—nōn tōtā nocte—rogāmus,

nam vigilāre leve est, pervigilāre grave est.

Discipulōs dīmītte tuōs. Vīs, garrule, quantum

accipis ut elāmēs, accipere ut taccās ? ”

*Iuvenālis.* Euge ! Scribe nunciam, et ad vicīnum  
illum molestum mītte.

*Martiālis.* Hoc faciam.

*Iuvenālis.* Valē, mī amīce. Ut tandem quiēscās !

*Martiālis.* Valē, ō Iuvenālis.

FĪNIS.

“IMBER IMPENDET.”

(*In parvā casā mulier rūstica ante focum stat; duae  
fīliae lānam faciunt.*)

*Fīlia prīma.* Quid agis, māter?

*Māter.* Calidam aquam patrī tuō parō; fessus enim ex agrīs redibit, et frīgidus.

*Fīlia altera.* Ventum - ne surgentem audis? Metuō nē imber impendeat.

*Fīlia I.* Ecce lucernam! Ut oleum in tēstā scintillat!

*Fīlia II.* Vidēs-ne etiam fungōs putrēs quī in eā conerēscunt? Haud dubium est quīn hiems adpetat.

*Māter.* Nunquam imber nōbīs imprudentibus obstat. Superiōre nocte enim lūna, cum orirētur, obscūra erat; inde intellegō māximum imbrem terrā mari-que parāri.

*Fīlia I.* Ecquid cōgnōscere licet si lūna rubrō colōre suffūsa est?

*Māter.* Pater tuus ventum fore saepe adfirmāvit, cum lūna rubrō colōre suffūsa esset.

*Fīlia II.* Nōne sōl etiam sīgna imbris nōbīs dat?

*Māter.* Immō verō certissima sīgna sōlem et orientem et occidentem sequuntur. Saepe enim colōrēs variōs in vultū eius vidēmus: caeruleus color “pluviam dēnūntiat, Igneus Eurōs.”

*Fīlia I.* Sōlem quis dicere falsum audeat?

*Fīlia II.* Avēs etiam nōbīs pluviam nōnunquam praedīcunt, sicut gruēs imbrem surgentem in vallibus imīs fugiunt, aēriae-que volant.

*Māter.* Cum hirundō lacūs circumvolitat, tum imbrēs sint tibi sūspectī.

*Fīlia I.* Ex omnibus avibus nōne corvī cornīcēs-que praecipuē pluviam praedīcunt?

*Fīlia II.* Equidem imbrem nunc impendēre prō certō habeō, nam hodiē corvōrum exercitus ē pāstū āgnine māgnō discēdēs, ālīs suis dēnsīs increpābat; et ego et soror mea, dum ad vīcum īmus, cornīcem vidimus quae pluviam plēnā vōce vocābat, et sōla in siccā harēnā spatiābātur.

*Māter.* Māne vaccae, cum pābulum eis darem, caelum sūspectābant, aurās-que patulīs nārībūs captābant: inde quoque pluviam impendēre cōgnōvī.

*Fīlia II.* Rānās hodiē audīvī dum aquam hauriō; querēlam suam veterem in līmō canēbant.

*Filia I.* Etiam formīca parva sīgnum dat, ut crēdō, cum ōva ē tēctīs penetrālibus, impendente imbre, effert.

*Māter.* Dēsinite nunc pēnsa vestra carpere, ut cēnam patrī frātrī-que vestrō parētis. Pater enim nunciam ovēs domum sequitur, et filius āgnōs.

[*Filiae cēnam parāre incipiunt.*

(*Intrant pater et filius.*)

*Pater.* Ohē, mea uxor! Iam pluere incipit; crās, nisi fallor, imber frīgidus nōs domī continēbit.

*Māter.* Multa tamen mātūrāre poteritis, quae mox, caelō serēnō, properanda erunt. Licēbit enim frūgēs ignī torrēre, vel saxō frangere.

*Filius.* Equidem dentem dūrum vōmeris prōcūdam, vel lintrēs ex arbore cavābō.

*Pater.* Mē sīgnum pecorī imprimere aut numerōs acervīs inscribere oportēbit.

*Māter.* Dum vōs in agrīs hodiē labōrātis, ego et filiae nostrae dē sīgnīs pluviam praedīcentibus, inter nōs loquēbāmur.

*Filius.* Meministī - ne versūs poētae Vergili Marōnis hāc dē rē scrīptōs?

*Māter.* Verba tenēre nequeō. Nārrā nōbīs, sōdēs, versūs illōs.

*Filius.* Illōs solum memoriā teneō:

“Nunquam imprudentibus imber  
Obfuit: aut illum surgentem vallibus imīs

Aeriae fūgēre gruēs, aut būcula caelum  
 Sūspiciēns patulīs captāvit nāribus aurās,  
 Aut argūta lacūs circumvolitāvit hirundō,  
 Et veterem in līmō rānae cecinēre querēlam.  
 Saepius et tēctīs penetrālibus extulit ōva  
 Angustum formīca terēns iter, et bibit ingēns  
 Arcus, et ē pāstū discēdēns āgmine māgnō  
 Corvōrum increpuit dēnsīs exercitus ālīs. . . .  
 Tum cornīx plēnā pluviā vocat improba vōce  
 Et sōla in siccā sēcum spatiātur harēnā.  
 Nē nocturna quidem carpentēs pēnsa puellae  
 Nescivēre hiemem, tēstā cum ardente vidērent  
 Scintillāre oleum et putrēs conerēscere fungōs.”

*Pater.* Ō vātem optimum, et rūrīs amantissimum!

*Filia II.* Cēna apposita est. Venīte.

*Pater et fīlius.* Gaudēmus, nam valdē ēsurīmus.

FİNIS.

# BOOKS ON MODERN LINES

*Secondary Education.*—"This excellent series."

## BELL'S SIMPLIFIED LATIN CLASSICS

Edited, with Notes, Exercises, and Vocabulary,  
By S. E. WINBOLT, M.A.

*Fcap. 8vo. With numerous Illustrations. 1s. 6d. each.*

NEW VOLUMES.

TACITUS' AGRICOLA. SALLUST'S CATILINE.

VOLUMES PREVIOUSLY PUBLISHED.

Caesar's Invasion of Britain. Caesar's Fifth Campaign (from  
Livy's Kings of Rome. De Bello Gallico, Book V.)  
Simple Selections from Vergil's Athletic Sports.  
Cicero's Letters. Vergil's Taking of Troy.

## DIALOGUES OF ROMAN LIFE

By S. E. WINBOLT, M.A. Fully illustrated. With or without  
Vocabulary. 2s.

A PREPARATORY SCHOOLMASTER writes (October 26, 1913): "I got the book for the whole of my form (16 copies), and propose to do it one afternoon every week. I used it last week, and the boys simply loved it. The extraordinary thing to me was the way they entered into the spirit of it and the ease with which they translated—they did it unseen."

## BELL'S LATIN PICTURE CARDS

Edited by FRANK S. GRANGER, M.A.

Professor of Classics, University College, Nottingham.

A SET OF 16 CARDS, or 16 Cards confined to either series of subjects  
or any one card, printed in Colours, with Vocabulary and  
Exercises on the back of each card, price 1s. 3d. net.

CARDS I.—VIII. illustrate subjects found in the prose writers.

CARDS IX.—XVI. those of the poets.

INDEX TABULARUM.

I. Agnen.—II. Castra.—III. Portus.—IV. Obsidio.—V. Iter.—VI. Forum Romanum.—VII. Vita Urbana.—VIII. Senatus.—IX. Domus.—X. Lulus.—XI. Fundus.—XII. Vinetum.—XIII. Særa.—XIV. Circus.—XV. Theatrum.—XVI. Cena.

A FORM-MASTER AT MARLBOROUGH writes: "I have just started my form on your Latin Picture Cards, and they are answering splendidly: the boys enjoy them as much as a game."

G. BELL AND SONS, LTD., LONDON, W.C.

# A LIST OF BOOKS

SELECTED FROM

## BELL'S EDUCATIONAL CATALOGUE



### CONTENTS

	PAGE
LATIN AND GREEK . . . . .	2
MATHEMATICS . . . . .	5
ENGLISH . . . . .	8
MODERN LANGUAGES . . . . .	12
SCIENCE AND TECHNOLOGY . . . . .	14
MENTAL AND MORAL SCIENCE . . . . .	15
HISTORY . . . . .	15
BOHN'S POPULAR LIBRARY . . . . .	16

MESSRS. BELL are at all times glad to receive visits from members of the teaching profession, and to avail themselves of the opportunity to discuss matters of mutual interest, to submit their latest publications, and to talk over new methods and ideas.

LONDON: G. BELL AND SONS, LTD.

PORTUGAL STREET, KINGSWAY, W.C.

CAMBRIDGE . . . DEIGHTON, BELL & CO.

NEW YORK . . . THE MACMILLAN COMPANY

BOMBAY . . . A. H. WHEELER & CO.